

§. 5. DIFFERENTIA desumitur à *subjecto*, seu *parte affecta*, faucibus nimirum & gutture, quæ inflammationem patiuntur. Locus verò affectus varias anginae designat species, de quibus in peculiari capite.

CAPUT III.

CAusæ sunt internæ & externæ. Internæ immediata & mediata. Internæ causæ immediata ut aliarum inflammationum, ita & hujus sunt humores, sanguis purus vel cacochymicus, biliosus scilicet, pituitosus vel melancholicus succis, imò & serosis humoribus refertus.

§. 1. Cum curatio alicujus morbi legitimè methodicè que absolvi nequeat, nisi causæ, à quibus productus est, sint cognitæ: itaque & nos ad anginae causas indagandas studium nostrum dirigimus.

§. 2. Distinximus eas in *internas* & *externas*, illasque iterum in *immediatas* & *mediatas*. IMMEDIATAS diximus esse humores omnis generis, inprimis vero acres & biliosos in fauces irruentes earumque partes implentes. Et de calidis quidem nullum est dubium: de frigidis autem ambigitur; constat quippe, anginam esse morbum maximè acutum, acutos verò morbos à causis calidis & biliosis produci, quemadmodum chronici à lentis & frigidis generari solent, itaque non videtur probabile, anginam ab omnibus gigni posse humoribus. Verumenimverò dubium hoc facili operâ solvitur, si in memoriam revocemus ea, quæ infra in differentiarum explicatione apponemus, ubi nimirum aliam veram & exquisitam, à sanguine vel sincero, vel etiam humore acri & bilioso proveniente, aliam verò notham ab aliis, iisque frigidis humoribus prognatam constituemus. Scilicet legitima & exquisita inflammatio suboriri non potest, nisi à sanguine

guine